

[Faint, illegible handwriting on a blank page]



Q. D. B. V.
DISPUTATIO METAPHYSICO-
PNEVMATICA

De
COMPOSITIONE,
Quam

PRÆSIDE
M. HEINRICO Baumann/
Fac. Phil. Adj.

placide ventilationi subicit
MICHAEL AD ENDE TORG.
A. & R.

d. XV. Octobr. in Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ.

Ex Officinâ Typographicâ Johannis Haken, 1662.





VIRIS

CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS, SPECTATISSIMIS,

DN. GEORGIO SCHMIDIO, JCTO &

Reip. Torg. Consuli,

DN. PAULO SCHRÖDERO, Medic. Lic.

& apud Torg. Practico Celeberrimo, ibidemque

Reip. Prætori,

DN. ANDREÆ GEY, JCTO & Reip.

Torg. Syndico ac Prætori,

DN. GEORGIO Ganzland / Reip. Torg.

Senatori ac Ædili,

DN. CHRISTIANO Fritzschen / Reip. ibi-

dem Senatori,

DOMINIS, PATRONIS, respectivè

SUSCEPTORI, ac Promotoris

bus filialiter venerandis,

Hoc Exercitium Academicum,

debita observantia ac gratitudinis

ergò,

DAT, DICAT, CONSECRAT,

AUTOR.



PROOEMIUM.



ETAPHYSICES, disciplinarum inferiorum Reginae, usus longè lateq; patet; & si amplitudinem ipsius rectè aestimes, directum alterum, alterum indirectum non immeritò dixeris. Iste verò, cum non Metaphysicæ tantùm cancellis circumscribatur, sed & aliò se porrigat ac diffundat, tum absolutus

seu internus; tum respectivus seu externus vulgò audit. Illo intellectus nostri ignorantia dispellitur, quem Metaphysica rerum abstractissimarum & universalissimarum, utpote terminorum, principiorum, distinctionum, summorum generum &c. cognitione imbuat & exornat, uti instructus ista ad uberiores capessendum sui cultum tantò promptior postea sit, quantò magis istorum scientia aliorum cognitionem promovet ac juvat. Hic v. particulares disciplinas respicit, quæ à Metaphysica sua objecta & limites accipiunt, & principiorum suorum exprimis, à Metaphysica traditis, stabilimentum ex eadem desumunt. Indirectus a. ab hominum, Metaphysicam, quæ exculsi sunt, cognitionem in quocunq; superioris doctrinæ genere feliciter tractando usurpantium, instituto dependet; & in Metaphysicæ territorio non nisi contingenter locum, si quis conceditur, sibi vindicare potest. Quamvis a. Metaphysicæ notitia nullus, qui solidiori eruditioni studet, & in arena disputatoria cum primis cum laude versari cupit, omninò carere possit; in Theologiæ tamen studio ista tantum non istud præstat, quod Sol in mundo. Diffunditur enim iste Metaphysicæ usus per omnes doctrinæ fidei Articulos; ut ad Metaphysicas cum primis disputationes non immeritò istud, quod B. Meisnerus part. 1. Philosoph.

sobr. quæst. gen. de Usu Philosophiæ in Theol. Memb. 3. p. 20. de
disputat. Philosoph. pronunciat, trahatur: nimirum eos, qui i-
stis se exercuerunt, tantum proficere in studio Theologico, per annū,
quantum alii per triennium integrum vix efficiunt. Videmus, ad-
dit, quam accuratè, quam distinctè materias Theologicas propo-
nant, quam ordinatè argumenta confirmantia disponant, cum alii
vel statum controversiæ non tam dextrè tradant, vel argumenta non
tam perspicuè & ordinatè explicent. Videmus quam feliciter, quam
nervosè strophas adversariorum dissolvant, cum alii non sine magno
labore & valdè difficulter, quin & non adeò expeditè & scitè id i-
psum præstare possint: & istud B. Rungii à B. Jacob. Martini in
Bernunffti Spiegel l. 2. de Philosoph. c. 10. p. 81. laudatum moni-
tum: Philosophare, quamdiu potes, nimium non potes. Excellens
Philosophus (Metaphysicus) Excellens Theologus: olim videbis. Ex-
currerem nunc in campum istum spatiosissimum, & Metaphysi-
ces in Theologia usum per omnes fidei articulos monstrarem,
nisi in aprico iste esset, & unanimi accuratiorum Theologorum
voce confirmaretur. Istum tamen, qui ex doctrina de COM-
POSITIONE in Theologiam redundat, usum silentio præteri-
re non possum; occupatus in præsens istius enucleationi. Scili-
cet affundit non parum lucis ista controversiis de simplicitate
Dei, de composita Christi persona, de unione, quæ in mysterio
SS. Trinitatis, & incarnationis Filii Dei &c. occurrit, de crea-
turarum essentiâ & naturâ &c. Instruit & armat disputantem,
contra Calvinianos nonnullos de compositione ex essentia &
persona, & simplicitate Dei minus dextrè sentientes; nec non
contra Socinianos, ὁμοῦς ἑσῶν ἑνότητος, seu personam compo-
sitam Christi, nefariè impugnantem. At v. non imparatum esse
oportet compositionis hujus scrutatorem à doctrinâ de essen-
tiâ & existentiâ, de unitate, quâ mediante omne Ens vel com-
positum vel simplex esse dicitur, & unione, de actû & poten-
tiâ, de toto & parte, de supposito & personâ, de distinctione &
identitate &c. quâ etsi minus equidem polleam, meas tamen,
in hac ardua & utilissima materiâ ingenii vires periclitari &
exercere cum Deo ingredior; & ut discursus hujus Metaphysi-
co-Pnev-

co-Pneumatici telam ordine atque decorè pertexam, tres e-
jusdem sectiones adorno, quarum prima est

SECTIO DOGMATICA

Thesis I.

Compositio est indivisio distinctorum, se mutuò ex-
cludentium.

§. 1. Compositio, ut vocis Homonymiam paucis evolvam,
hic non sumitur 1. secundo-notionaliter, quatenus tribuitur
notionibus secundis complexis, quæ simplicibus opponuntur,
& in disciplinis instrumentalibus formatae, facilioris cogniti-
onis ergò adhibentur: qualis compositio e. g. est subjecti &
prædicati, unde oritur Enunciatio. Nec 2. Physicè, quatenus
vel secundæ mentis operationis, quæ res componit ac dividit,
actum, vel mixturem Elementorum, ex quâ corpus mixtum seu
compositum oritur, notat. Nec 3. Mathematicè, ubi compo-
sitio in numero, computatione, & corpore Mathematico, tribus
dimensionibus constante, occurrit. Nec 4. Politicè, quando
societates compositæ simplicioribus contradistingvuntur. Nec
5. quatenus quæcunque combinatio & conjunctio nomine cõ-
positionis venit. Nec 6. quatenus actum extrinsecum efficientis;
sed quatenus intrinsecum terminorum constituentium actum,
seu certum statum Entis finiti, realis & per se, designat; & qui-
dem h. l. in actu partim signato, partim exercito, pro substratâ
materiâ, quæ partim Metaphysica, partim Pneumatica est.

§. 2. Materiale E. compositionis hujus est Ens (finitum h. l.)
in complexum, positivum, reale, actuale & per se: Hoc enim o-
mnium affectionum fundamentum est, cujus solius etiam affe-
ctiones, quæ & ipsæ reales ac positivæ sunt, in Metaphysica ex-
plicantur. Denominat a. compositio tum substantiam tum
accidens. Nam quæ de Ente prædicantur, in statu universali
considerato, ut loqvuntur, quadrant suo modo tum ad substan-
tiam tum accidens: etsi substantiarum (creatarum) compositio
rigorosior & magis obvia sit, quàm accidentium. Omnis enim
substantia creata composita est, si non Physicè: tamen Meta-

physicè: Non v. omne accidens in se & sua natura; etsi omne
subjectum, cui inhæret, compositione accidentali gaudeat.

§. 3. Formale compositionis est indivisio distinctorum
extra se positorum; eaque actualis, quæ divisibilitatem non
excludit. Compositio enim fundatur in unitate, quâ mediante
Enti competit; non quatenus per se simplex est, & indivisibilis,
sed quatenus divisibilis: nimirum non ratione status & termi-
ni, sed ratione ortus & principii. Alii exprimunt formale com-
positionis vel per unionem, vel unitatem; quæ quoad rem cum
indivisione hîc paria faciunt, si rectè explicetur, ut divisibilitati
reali loco relinquatur, & tã unitas ab idètitate (cû primis quæ in
ratione & accidentaliter cõpositis datur) quâ unio formalis ab ef-
fectiva, quâ vocant, (qualis in Magnetè & ferrû cadit,) cautè di-
stingvantur. Hoc v. genuinum compositionis formale esse, tum
membri oppositi, simplicitatis nempe, quæ in indivisibili indi-
visione consistit, tum compositionis ab omni confusione & in-
ordinata multitudine per indivisionem distinctio, evincunt. At-
que hæc indivisio est propriè dicta, cui, quæ in ratione & acci-
dentaliter compositis habetur, tanquam impropiè dicta, non
immeritò opponitur; conjunctionis potius in ratione compositis;
concretionis & aggregationis, in accidentaliter compositis
scil. quam compositionis entitativæ, quæ sola hujus loci est,
index.

§. 4. Ista propriè dicta indivisio a. in quo consistat, an nu-
dam negationem, an v. simul positivum quid significet, in capi-
te de unitate uberius docetur. Satius est hîc extremorum com-
positi distinctionis meminisse, cujus indoles ex verbis adjectis
fatis intelligitur. Scilicet realis illa esse debet, & quidem vel
strictè & primariò, vel secundariò & analogicè talis; ita qui-
dem, ut unum extremorum excludat alterum, ut sibi mutuo
opponantur, & contradistingvantur, realiterq; unum ab altero,
minimû extraordinariè & per absolutam Dei potentiam, ex lu-
mine vel naturæ vel scripturæ cognoscibilem, separari possit.
Quæ separatio vel simplex vel mutua (pro compositionis in-
dole) manifestum quidem distinctionis realis indicium; sed
non

non necessarium ipsius requisitum est. Quo minus verba illa quibus distinctorum extremorum mutua extra se positio possibilis indicatur, in definitione compositionis superflua haberipossunt.

§. 5. Ex his compositionis Entitativæ requisita prono alvo fluunt: nimir. requiritur ad eandem 1. ut extrema compositi sint realia. 2. realiter distincta & à se invicem separabilia. 3. ut se respiciant ceu actus & potentia. Hic n. respectus (ut requisitum tertium, cæteris jam expositis, attingam) per omnes compositionis modos se diffundit, quatenus in omnibus aliquid notari potest, quod sit determinans, & aliquid, quod determinabile. Nec audiendi facile sunt isti, qui ex actu & potentiâ specialem compositionem fingunt, si tertium requisitum καθολικόν esse debet. 4. uti Extrema sint Entia incompleta.

§. 6. Expositâ nostrâ compositionis definitione, ejusdem cum aliis collatio non immeritò instituitur; ut ex illa etiam nostræ sententiæ aliquam fœneremur lucem. Timplerus lib. 2. Metaphys. c. 2. pro ea, quâ gaudet præ aliis labendi promptitudine, definit compositionem per *actum compositi, quatenus compositum est.* Alij definiunt per *qualitatem, à qua Ens denominatur compositum.* Alij per *conjunctionem plurium, unum tertium constituentium.* Alij eandem describunt quod sit *affectio Entis disjuncta & mediata, quâ ipsum Ens concipitur actu indivisum, potentia v. divisibile.* Vel accuratius: quod sit *membrum affectionis disjunctæ mediatæ, quo illud dicitur habere Entitatem divisibilem.* Alij ut Combachius, Burgerstitius, Stahlius, quod sit *plurium unio* (unum tertium constituentium) *Paulus Voëtius sect. 9. c. 10. p. 207.* Phil. Reform hanc fabricat definitionem, quæ complectatur omne genus compositionis, tam secundum rationem, quam secundum rem: *Compositio est extremorum, quorum unum est ad aliud in potentia, distinctorum, unio.*

§. 7. Sed illarum definitionum aliæ non conficiuntur, per notius, & sic in generalem illam definiendi regulam peccant; definitum debet per priora & notiora definiiri: aliæ sunt respectivæ, ubi compositio describitur facta mentione subjecti quod afficit, & quatenus oppositum.

Simplicitatis mēbrū est. quæ inter istas optimæ: Aliæ sunt imperfectæ, quæ partim cōpositionis naturā nō sufficienter explicant, partim conceptū compositionis Entis per se, cū compositionis accidentalis & rationis conceptu, qui in definitione hīc non attendi debet, confundant. Compositio enim essentialis, quam vocant, & accidentalis atque rationis non minus hoc loco sibi opponuntur quam Ens per se & per accidens, Ens reale & rationis. Insufficienter a. compositionem per plurium, vel distinctorum, unionem describi, requisitorum compositionis supra enumerantium ratio evincit. Quæ enim illa plura sint, quomodo illa etiam realiter distincta, ad se invicem habeant, solidius explicandum erat; cum quorumcunque unio, & realis etiam plurium distinctio, compositionem & mutuam realem extremorum separabilitatem, quam compositio formaliter includit, non arguant.

Thef. II.

Compositio realis Entis per se est vel Physica vel Metaphysica; illa ex partibus vel essentialibus, materia & forma, vel integralibus seu quantitativis; hæc v. in Sphærâ creaturarum scil., ex natura & supposititate, oritur.

§. 1. Ita compositio, de qua hīc sermo est, (quam nonnulli essentialem vocant, ut ab accidentali, quæ realis quidem, sed Entis per accidens est, distinguant) omnium optimè videtur dividi. Nam hæc membra dividuntur. 1. Cum toto benè consentiunt, cum utraque realis & Enti finito, per se, propria sit. Physicæ enim compositionis realitas in confesso est; de Metaphysicæ realitate postea dicendi locus erit. 2. Immediate sibi opponuntur, quoad formale suum, etsi in uno subjecto aliàs una non excludat alteram. 3. Exhaustiunt omnem totius latitudinem, cum omnis compositionis essentialis species comprehendat. Quæ potissima bonæ divisionis requisita sunt.

§. 2. Denominatio istorū cōpositionis modorū desumitur à propria ipsorū sede, cū illis subjectū Ens & si rigorosè sumatur, Corpus, Naturale; hujus v. suppositū sit; cujus tractatio ad Metaphy-

physicæ forum spectat. Aliàs, quod annotavit Stahlius in Institut. Metaphys. p. 232. Compositio Logica cum Metaphysica sæpius confundi solet, quam *ἀνεγλογίαν* Metaphysica *ἀρεϊ-
βεια* non permittit. Quod si tamen nodum in scirpo quæren-
ti nostra denominatio alicui non arrideat, illum in Onomato-
logiâ hâc suo sensu abundare faciles permittimus; si rem ipsam
temerè non impugnet.

§. 3. Neque in cuius quam præjudicium illam compositi-
onis divisionem nunc tuemur. Admittimus enim divisionem
compositionis in realem & rationis, immediatam, & mediatâ,
in accidentalem & substantialem; ad quam reducatur tum Me-
taphysica, orta, 1. Ex genere & differentia, (quæ rectius Logica
dicitur.) 2. Ex esse & essentia. 3. Ex natura & subsistentia:
tum Physica, quâ coalescunt extrema vel sub ratione parti-
um essentialium, vel integralium. Nec improbamus divisi-
onem compositionis in propriè & impropriè dictam, si rectè
explicetur, ita, ut non negetur quidem propriam esse compo-
sitionem in Ente per accidens, sed hic tamen loci, ubi Entis per
se affectiones proponendæ sunt, rectè impropriam eam dici
concedatur. Verum enimverò distinctiones illæ non sunt En-
tis per se; sed Entis ab Ente per se & per accidens, Ente reali
& rationis præcisi; in qua latitudine Ens, quatenus Objectum
Metaphysices est, & affectionum materiale, sumi nec potest,
nec debet.

§. 4. Missa a. Compositione Physica, ad quam & compo-
sitione continui, de quâ Scholastici intricatè disputare solent,
pertinet, compositionem ex natura & supposito describimus,
quod sit *cōpositio Entitativa, quâ natura substantia singularis, finita
coarctatur per suppositalitatem aut personalitatem, quæ sub illa con-
tinetur.*) Entitativa & realis illa compositio est, diversitatem
inferens à parte rei; cum requisita compositionis supra, enume-
rata ipsi omnia conveniant. Subjectum ipsius est omnis sub-
stantia finita & quidem singularis (cum natura hic nihil aliud
notet, quam essentiam substantiæ primæ. Nam etsi in Deo et-
iam distinctè considerare possimus naturam & personam, illa ta-

B

men

men notionalis conceptuum combinatio propriè dicta compositio non est, & non à parte rei, sed tantum à parte nostri intellectus, in Deo distinctè concipientis, datur. In creaturis v. realis est, cum termini sint realiter distincti, quod è separabilitate patet, non tam ex naturæ lumine, quam mysterio incarnationis demonstrabili. Quæ v. possibilitas separationis naturæ & supposititalitatis ex mysterio incarnationis quoad hominem cognoscitur, illius in Angelis & cæteris creaturis eadem ratio est, respectu absolute Dei potentia; etsi exemplis actualis separationis quoad cæteras creaturas destituamur.

Theſ. III.

Compositioni Entitativæ opponitur tum compositio rationis, tum accidentalis. Illa vel rationis ratiocinata, quæ partim Metaphysicam, ex esse & essentia, partim Logicam, ex genere & differentia, cõplectitur: vel ratiocinantis est. Accidentalibus partim è subjecto & accidentibus, partim ex diversis accidentibus, oritur.

§. 1. Quemadmodum distinctio rationis reali, & accidentalis essentiali opponitur; ita & compositio rationis reali & Accidentalibus Entitativæ. Est a. illa oppositio non talis, qualis inter simplex & compositum intercedit; sed qualis inter Ens reale & rationis, per se, & per accidens. Utraque enim impropriè dicta est h. l. etsi accidentalibus aliàs propriè dicta & realis meritò dicatur; nequaquam v. compositio rationis.

§. 2. Compositio rationis à Mendoza describitur, quod fit *cognitio, componens atq; conjungens duo objecta ratione distincta, ex quibus resultat tertium*. Aliis dicitur realis, scil. non in genere compositionis; sed in genere Entis, quod talis compositio verè actus intellectus sit. Sed cum compositionis realitas h. l. non ex realitate actus intellectus, sed extremorum eorumque
rea-

reali distinctione , & separatione æstimetur , denominatio illa hîc prorsus incommoda est, cum citra mentis operationem nulla in extremis componentibus inveniatur realis distinctio , nulla compositio. Commodius vocari posset virtualis , vel potius notionalis.

§. 3. Cum v. compositio rationis vel certo extra intellectum nitatur fundamento, vel eodem plane careat, & puræ rationis sit, placet illa compositionis rationis præ reliquis divisio, ad instar distinctionis rationis efformata. Et cum termini componentes partim Logici partim Metaphysici sint, in compositione rationis ratiocinatæ qui occurrunt, liceat istam Logicam; hanc Metaphysicam vocare.

§. 4. Est a. Metaphysica compositio rationis ratiocinatæ, *qua ratio in uno eodemq; Ente creato cum fundamento in re tanquam distincta concipit essentiam qua possibilem & qua actua- lem, sive id quod sit, & id, quo sit, ex quibus unum quoddam compositum factum fingit.* Atque ita E esse vel existentiam notat, vel Ens quasi in concreto, seu id quod est, cui essentia quasi Ens in abstracto, sive id, quo est unumquodque Ens opponatur: etsi prior explicatio, quæ & *Svarezii est disputat. 33. sect. 4. n. 2. & disputat. 31. sect. 13. n. 8. à Scheiblero lib. 1. c. 5. tit. 4. artic. 1. n. 26. Met.* posteriori jure meritissimo præferatur. Et cum fundamentum distinctionis esse & essentiæ intellectus noster in solis creaturis inveniatur, quarum essentia, vel qua possibilis & actualis (cum aliquando non extiterint) vel qua habens & habitans (cum Entia per participationem sint) concipi potest, solis etiam istis, non Creatori, qui actus purissimus est, eandem tribui posse liquidò constat.

§. 5. Compositio Logica, quæ est ex genere & differentiâ, *est compositio rationis ratiocinatæ, quâ illa unum idemq; Ens creatum concipit primò ut est principium operationum communium, & deinde idem illud, prout est principium operationum propriarum, & ex hisce unum factum fingit.* Else hanc compositionem rationis ex remotione requisitorum compositionis realis oppidò liquet. Ratio autem, quæ compositionis hujus causa efficiens

est, ratiocinata à Scholasticis dicitur; quia non absque fundamento ista extrema conjungit; cum notiones hæ secundæ, genus & differentia, semper fundentur in notionibus primis. Nam etsi compositio hæc in se & formaliter rationis sit, compositionem tamen ex conceptibus realibus, notiones secundas, generis & differentia fundantibus, fundamenti loco semper præsupponit. Unde & solæ creaturæ compositionis hujus capaces sunt; quippe quæ in prædicamentis collocari possunt, & quibus imperfectio, quam illa compositio formaliter implicat, non repugnat. Interim cum in Ente increato etiam conceptus communis à proprio mentis operâ abstrahi, & sic essentia Dei ex istis quasi composita cogitari possit, sicut aliàs essentia divinæ, & divinorum attributorum, ratione ratiocinata ab illa distinctorum, intellectualis conjunctio non improbat; compositio seu combinatio ex conceptu latiori & strictiori in abstracto, à compositione ex genere & differentiâ, cautè discernenda est. Hæc enim in solas creaturas cadit; istam v. essentia divina adeò non respuit, si sana sit ipsius & applicatio & explicatio.

§. 6. Compositio rationis ratiocinantis ibi datur, ubi extrema non nisi ratione ratiocinate distinguuntur, ut sinistrum & dextrum in columna. Dicitur aliàs puræ rationis, quia in re ipsâ nullum fundamentum istius distinctionis, atque ita nec compositionis, datur. Hæc v. compositionis species inter cæteros compositionis improprie dictæ modos non immeritò impropriissimè talis vocatur.

§. 7. Compositio accidentalis est Entis per accidens. & quamvis realis sit, compositioni tamen Entitivæ h. l. meritò opponitur, tanquam species compositionis improprie dictæ. Neque enim de ratione compositionis Entitivæ, quæ talis, participat, sed tantùm proportionem aliquam & similitudinem cum istâ habet; etsi, quæ realis est, propius ad eandem, quæ compositio rationis, accedat. Conjunguntur n. in illa semper duo Entia completa (sicut in Entitivâ duo semper incompleta) & quidem l. accidens cum subjecto per concretionem, l. accidens

eidens cum alio accidente per aggregationem. Hæc v. Accidentalis compositio cum illa, quæ Accidentis, Entis per se scil. est, confundi non debet.

§. 8: Alii compositionem rationis ratiocinatæ in prædicamentalem & transcendentalem distinguunt. Ad hanc, compositionem ex essentia divina & ejusdem attributis; item Entis & attributorum &c. referunt: illam ad res finitas restringunt. Quam distinctionem suo loco relinquimus; &, si transcendentalis dicatur ratione subjecti, quod prædicamenta vel essentiæ suæ nobilitate, vel universalitate transcendit, non incommodè adhiberi putamus. Aliàs virtuales potius aut Modales vel formales, (quorum terminorum exigua aliàs differentia est, siue distinctionem siue compositionem notionalem isti denominent,) potius dicerem; cum vox transcendentalis ambigua sit, & prædicamentalis compos. quæ ex natura & supposito est, etiã transcendentalis seu Metaphysica dici possit. Quocunque v. tandem nomine veniant hi compositionis modi, in hâc thesi explicati, improprie dicti tamen illi sunt, neque analogia attributionis, sed proportionis tantum, inter compositionem Entitativam & hæc species intercedit: qualis est inter Ens per se & per accidens, reale & rationis. Illa enim in proprie dictis compositionis modis locum habet, cum composito physico, in partes proprie dictas divisibili, primariò, Metaphysico v., in naturam & suppositum divisibili, secundariò formalis compositionis proprie dictæ conceptus conveniat.

SECTIO ELENCHTICA.

Quæst. I. An Compositio perfectionem, eamq; majorem, quam simplicitas connotet?

Negativa adscribitur Cajetano de Ente & essentia, cui non possunt non subscribere, quotquot divinæ essentiæ perfectionem concedunt, & tamen compositionem ex subjecto & accidentibus in eâ impie fingunt, ut de Vorstio & Goslavio constat.

stat. Nos quodlibet quidem Ens compositum perfectum esse, ad minimum essentialiter, agnoscimus, cum perfectio essentialis vel ad primum Entis conceptum pertineat, vel affectio Entis unita sit; sed asserimus tamen I. Compositionem, quæ non puræ rationis est, & in ipso composito fundamentum habet, formaliter imperfectionem includere. (1) quia compositum simplici tanquam imperfectum perfecto opponitur: nam compositio tum Entitativa, & propriè dicta, tum rationis ratiocinatæ, quæ ex genere & differentia est, ut & accidentalis, propter sui imperfectionem à Deo removentur. Compositum scilicet importat dependentiam, tum extrinsecam ab efficiente, tum intrinsecam à partibus constitutivis seu componentibus, & partium inter sese; atque ita multiplicis imperfectionis nomen est. (2) Ex inductione specierum compositionis. Nam & compositio Physica, ex materia & forma, & partibus integrantibus: ut & Metaphysica & accidentalis, & rationis ratiocinatæ, si reale in composito fundamentum habeat, imperfectionis manifestam indicium præbent, ut ex præcedentibus facile innotescit. II. Negamus compositionem perfectionem majorem quam simplicitatem importare. Nam etsi perfectionem in suo genere quodlibet compositum habeat, nulla tamen perfectione Entis simplicis major est (1) quia simplicitas, rectè accepta, formaliter perfectionem infert. (2) quia in simplicitate eminentior unitatis gradus salvatur, & sic consequenter etiam illustrior perfectionis ipsius, cum quacunque perfectione Entis compositi comparatæ, gradus est. Sed cum non tantum substantiæ, sed & accidentia simplicitate sua gaudeant, & certi tum simplicitatis gradus, tum compositionis modi sint, de majori & minori perfectione tutissimè ex conditione substratæ materiæ judicatur. Ut v. potioribus adversantium objectionibus satisfaciat, observamus. 1. Cautè distingvendum esse inter imperfectionem compositi in genere Entis seu indefinite sumptam; & ratione corporum seu definite spectatam: nam corpora composita possunt esse nobiliora simplicibus, ut mixta Elementis. 2. **Omne Ens creatum compositum, & sic respectu Dei, Entis sum-**
mè

mè simplicis, imperfectum esse. (3) Totum simplex terminum non nisi certo respectu negativum esse, & remota imperfectione, subjecto non conveniente, positivam perfectionem notare. (3) Partes quæ simplices sunt, & tamen toto ignobiliores in genere principiorum suo modo perfectiores esse composito; etsi in genere substantiarum eodem imperfectiores existant; cum compositum propter subsistentiam completam perfectius sit parte, in quam cadit subsistentia incompleta. (4) Contra *Hæerboord. vol. 1. disputat. select. disp. 21. par. 8.* Compositionem ex essentia & suppositalitate, ante omnem, juxta ipsum in Deo etiam, mentis operationem distinctis, imperfectionem per se importare negantem, observandum: malè ab ipso, naturam & *Uo's 2011*, citra mentis operationem ab illa distinctam, in creaturis tantum per modum actus & potentiae se habere, eamque composit. salva simplicitate Deo competere, præsupponi.

Quæst. II. An Compositio ex esse & essentia, & ex natura & supposito, Entitativæ Compositionis species sint?

Qui essentiam ab existentia cum Thomistis (sicut habet ipse *Thomas de Ente & essentia c. 5. & l. 2. contra Gentes c. 53. it. Cajetan. de Ente & essentia quæst. 11. Soncinas in 4. Met. quæst. 12. Ferrariensis, Capreolus, & plerique antiquiores Thomistæ*) in creaturis realiter distingvi censent, compositionem hanc non possunt non pro reali & quidem Entitativa, quâ Ens per se componitur, habere. Naturam v. à suppositalitate in creatis (quibus propriè illa compositio tribuitur) realiter distingvi, adeoque requisitum compositionis realis potissimum hinc adesse, negat *P. Voëtius p. 71. Theol. Natur. Reformata.* Alii naturam & suppositum in omni Ente compositionem realem facere: Alii in nullo prorsus Ente, asserunt. Nos v. thesin supra adstructam tenemus, & illam quidem compositionem ex esse & essentia in creaturis, in quibus solis ista extrema ratione ratiocinatâ differunt,

runt, rationis ratiocinatæ esse: hanc v. compositionis Entita-
tivæ speciem absolvere affirmamus; cujus assertionis funda-
menta in sect. dogmatica jam adducta sunt. Contra adversan-
tes a. observamus. (1) requisita distinctionis realis, nec simpli-
cis nec mutuæ, ad diversitatem essentiæ & existentia quadrare.
(2) Compositionem ex natura & supposito in creaturis analo-
gicè realem, in Deo v. non nisi folius rationis, esse. (3) Moda-
lem distinctionem, quam Voëtius hic admittit, sub reali com-
prehendi; quia suppositalitas, quæ hîc modus substantialis est,
adeoque reale quid, à natura separari realiter potest. (4) Sepa-
rationem realem non-mutuam, naturæ & personalitatis, quam
Voëtius cum primis hîc in mysterio incarnationis urget, substi-
tuentiam humanæ Christi naturæ nunquam extitisse admittens,
non v. mutuam à nobis defendi.

Quæst. III. An Deus omnis compositionis expers sit?

Simplicitatis Dei hostes magno producerem numero, si
operæ pretium foret. Alii enim compositionem accidentalem
in Deo fingunt; alij compositionem ex genere & differentiâ; a-
lij ex natura & supposito, quibus & Heerboord. disp. 2. vol. 1. §.
8. calculum suum addit, asserens: *Subsistentias reverà ante o-
mnem mentis operationem à naturâ & essentiâ divinâ, ut modos à re
modificata distingui, adeoque Deum verè ex natura & substantiis tri-
bus componi.* Nos Deum omnis compositionis tum realis, tum
rationis, quæ imperfectionem importat, expertem esse proba-
mus. (1) ex purissima Dei actualitate. (2) ex simplicissima ejus
unitate. (3) ex remotione omnium compositionis specierum.
Respuit enim Deus, ut præmemoratas tantum compositionis
species, quas in Deo adversantes ponunt, attingam I. Com-
positionem accidentalem, quia (1) Deus nullius accidentis pro-
priè dicti subjectum est. (2) quia omne compositum ex subje-
cto & accidente Ens per accidens est. quod de Deo cogitare im-
pium.

pium. II. Compositionem ex genere & differentiâ. (1) quia Deus in nullo prædicamento est. (2) quia compositio ex genere & differentia includit in composito rationem actus & potentia, ut genus se habeat instar potentia perficiendæ per differentiam tanquam per actum. (3) quia notionalis compositio, (formaliter talis) in reali fundatâ, qualis est compositio ex genere & differentia, à Deo omninò aliena est: *gradus enim genericus, ut Heerboord §. 6. disp. 21. vol. 1. loquitur, secundum rationem suam potest inveniri separatus à differentiali illo, & inveniri conjunctus cum aliquo alio gradu differentiali in re aliquâ alia; uti animalitas cum rationalitate in homine, & irrationalitate in bruto, conjungi potest.* Hoc a. posito facile patet, in Deo non inveniri gradum talem genericum, qui cum alia aliqua differentia in aliis quoque rebus realiter conjunctus inveniatur. Quem Heerboordi discursum an instantia de conceptibus Deo & creaturis communibus (etsi non genericis) labefactet, nunc inquirere super sedemus. Et quamvis concedatur gradus illos in homine realiter non distingui (quam opinionem Heerboord communem & receptam hodie esse loc. cit. fatetur) cætera tamen nostræ sententiæ fundamenta satis firma esse putamus. III. Compositionem ex naturâ & suppositalitate seu personalitate; quia Deus est actus purissimus omnis potentia passiva expers. Natura v. utpotè receptiva ultimi actus involvit potentiam passivam, adeoque maximam imperfectionem. Quamquam enim nature, quatenus à suppositalitate distinguitur, non omnis actus denegandus sit; attamen quia suppositalitas ipsi superaddit ultimum subsistendi actum & quasi formalem qui ultimam rei actualitatem largitur, natura, seu essentia non potest non sese habere per modum potentia passiva, quæ actum istum recipit; Nam si non esset illa in potentia respectu actus subsistendi, darentur duo actus completi, & sic subsistentia & natura facerent non Ens per se, sed Ens per accidens. Quod prolixius explicasse juvat, quia sic Heerboordi sententiæ nervus optimè inciditur; cum ipse compositionem ex essentiâ & modo subsistendi, ante omnem mentis operationem ab ipsa distincto,

C

in

in Deo, ab omni imperfectione liberare satagat ejusque extrema in Deo per modum potentiae & actus (quia scilicet modus subsistendi in Deo nec mutabilis nec finitus adeoque nulli imperfectioni obnoxius; etsi citra mentis operationem ab essentia divina distinctus sit) se habere neget. Præterea contra istos simpliciter Dei impugnatores observamus. (1) Attributa Dei nequaquam in accidentium classe poni posse; & ab essentia divina non minus ac inter sese sola ratione ratiocinata differre. (2) Notionem subjecti si Deo, ratione suorum attributorum tribuatur, ab omni imperfectione liberandam & à communi subjecti finiti ratione & materiali conditione qualibet cautè distinguendam esse. [3] Compositionem ex genere & differentiâ non merè extrinsecè compositum denominare; etsi compositio ex conceptu determinabili & determinante facta, non nisi extrinsecè denominationis rationem habeat. (4) Compositio- nis ex genere & differentiâ non eandem rationem esse quæ est conceptum attributorum Dei; id quod præ reliquis egregiè demonstrat. P. Voëtius p. 51. pr. Phil. reformata, qui omninò hic consulendus est. (5) Distinctionem personalitatis ab essentia divinâ ante omnem mentis operationem (quæ non potest non realis esse, etsi non strictè dicta & realis major sit) purum purum Heerboordiani cerebri, & ejus asseclarum, figmentum esse. (6) Naturam divinam & subsistentiam, ab illâ ante omnem mentis operationem diversam, non posse ut duos actus perfectos, quorum neuter ab altero aut actuetur aut petficiatur, concipi; neque à natura divina, per modum subsistendi, realiter distinctum, determinabili, propter modi istius infinitatem & immutabilitatem, imperfectionem potentiae passivæ removeri. (7) Vocem distinctionis imperfectioni isti, cui vox compositionis subjacet, expositam non esse: quamvis eo modo etiam, quo essentiam divinam & modum subsistendi ille distinguat, distinctionem in Deo non admittamus.

Ax. I.

SECTIO AXIOMATICA

Ax. I. Simplex prius est Composito.

Scilicet si non prioritate temporis factim naturæ, Distingvunt aliàs inter simplex, quatenus consideratur vel ut pars, compositum ingrediens, vel ut substantia extra illud subsistens; de quo canonè accipiunt: cum simplex ut pars compositum ingrediens, & ut principium constituens secundum esse relativum cum composito simul sit. Sed hæc simplicis diversa consideratione nihil opus, si prioritatis modi ritè distingvantur.

Ax. II. Summè simplex omnis compositionis expers est: reliqua suo modo composita sunt.

Explicatio & applicatio Canonis hujus ex præcedentibus satis manifesta est. Qui v. & quo simplicitatis secundum quid gradus ac modi sint, ex collatione substantiarum spiritualium cum materialibus, & materialium cum simplicibus &c. nullo negotio intelligitur.

Ax. III. Ex supposito seu persona, & natura à persona illa diversa, oriri suppositum s. personam σύνθετον, non repugnat.

Exemplo sunt quoad σύνθετον suppositum Sal, substantiâ aquæ subsistens, ut & ignis in subsistendo à suppositalitate ferri dependens. Quoad personam σύνθετον v. argumento est humana Christi natura substantiâ τῆς λόγῃ subsistens. Hanc a. compositionem realem esse, ex requisitorum compositionis realis applicatione manifestum est. Adfunt enim duo En-
tis

tia realia, eaque realiter distincta, & opposita, etiam in ipso
unionis statu, quæ per modum actus & potentia se invicem
respiciunt. Et quamvis natura humana à divina *ἁπλοῦς*
post factam unionem realiter separari non possit, ut ignis à fer-
ro, vel Sal ab aquâ; Essentialiter tñ. diversa sunt & manet Homo
& Deus; & illa separationis impossibilitas à singulari Dei depen-
det *ὁμοιότης*; sicut & in aqua marina salis & aquæ cōpositio, &
extremorum totalis separationis negatio à creatoris voluntate:
cum tamen cōpositio illius *συνθετός* cōpositi omninò realis
sit. At v. quia quartum cōpositionis essentialis requisitum
hic deest, cum extrema istius cōpositionis non sint Entia in-
completa, ad unam essentiam (etsi ad unum suppositum s. per-
sonam) constituendam ordinata, essentialis seu Entitativa
cōpositio nec dici, nec ad cōpositionem ex natura & sup-
posito facile reduci potest. Exceptiones Socinianorum, qui-
bus axioma istud sades in oculis est, abundè satis refellit

Magnif. Dn. D. Calovius p. 531. part. gen. Met.

div. Sp. 99. part. spec. Nos hic substi-
stimus, dicentes

ENTI SUMME SIM- PLICI GRATIAS.

Ad
Fratrem dilectum, Philos. Candidatum.

Qui benè componit, benè dividit, ille Magistri
Præcipuos numeros implet, & omen habet;
Si nomen desit. Sed tu componere doctè
Qui satagis, rem cum nomine, frater, habes.

M. HEINRICUS Baumann/
Fac. Phil. Adj.




✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







Farbkarte #13

B.I.G.



7

117

D. B. V.
METAPHYSICO-
MATICAM

De

POSITIV-

ONE,

quam
RESIDE

ICO Baumann/
Phil. Adj.

entilationi subicit

ENDL TORG.

& R.

in Auditorio Majori.

TEBERGÆ.

hicâ Johannis Haken, 1662.

